

XCVIII.

1773, St.

39. 9

ORDINIS. ICTORVM
PROCANCELLARIVS
ROMANVS. TELLER
LIPSIENSIS
DOCTORALIA. ORNAMENTA
CHRISTIANO. GODOFREDO. HEYME

D R E S D E N S I

A. D. XXVII. MAI. MDCCCLXXIII

C O N F E R E N D A

ANNVNTIAT

successione doctororum allegiorum data.

Foto: I. Professorenkabinett Collegium dat.

OLDIINA TOTORUM
PROGENCETIVAS
YONAS TELLER
DOCOTOMIA OMNINUM
CHRISTIANO DOCTORIBUS HUIC
CONFERENDA
TURINUM



I

ure veteri, deficientibus cognatis et coniugibus, fisci erat legitima successio, qui bona ἀιληνούμιτα haerede carentia adeoque vacua facta occupabat. Sed cum inuidia et odium fisci apud Romanos identidem magis magisque creuisset, factum est, ut inter alia etiam hoc benignissime a legislatoribus, beneficii loco, quibusdam collegii tributum sit, ut ad successionem bonorum membra sine haerede ab intestato mortui, excluso fisco, admitterentur. Vnde ex eo tempore bona mortuorum

IV

vacantia tunc demum ad fiscum transferri dicuntur, si nullum ex qualibet sanguinis linea, vel iuris titulo, reliquissent ab iustitato haeredem. l. 4. Cod. de Iibus vacant. Non tamen ad omnia collegia, etiamsi vel maxime licita et intra numerum, huius priuilegii fructus pertinebat, sed tantum ad illa, quibus hoc ipsum priuilegium diserte et expressa lege esset concessum, quae quidem enumerantur tit. Cod. de haereditat. Decur. Recedebat enim hic nouis succedendi modus quodammodo a communi iuris ratione vel analogia iuris, adeoque, tanquam ius singulare et praeterea priuilegium fisco odiosum, ad species legum formulis haut comprehensas, extendi non potest. l. 14. et 15. π^r de Legg.

Inter illa collegia autem, quibus hoc beneficium tributum erat, et de quibus in praesens, nausta hac opportuna scribendi ratione, breuiter videbimus, primum merito locum tenet collegium decurionum, quos a decuriis appellatos fuisse, aequum est cum EVERARD. OTTONE de Aedil. Colon. C. 5. §. I. statuere, explosa iam dudum a Viris doctis contraria POMPONII, et qui hunc sequuti sunt, BRISSONII, CVIACII, SIGONII aliorumque opinione, quippe veri dissimillima. Etenim sicuti curiales et curiones a curia, ita decuriones a decuria dictos fuisse, dubio caret. Significat tamen decuria non decadem, sed album, seu catalogum vel tabulam, in qua diuersa decurionum corpora erant relata et inscripta, vti in Equitum, Iudicum, scribarum, viatorum et aliorum decuriis ex CASAVBONO et REINESIO obseruauit OTTO loco com-

me-

memorato, de quo in praesens plura addere, non opus est. Etsi autem l. 239. §. 5. π̄ de V. S. tantum sermo sit de decurionibus coloniarum, tamen et in municipiis eos fuisse, auctor nobis est SVETONIVS in vit. August. c. 146. vbi *decuriones municipiorum et coloniarum coniunguntur.* Vtque domi suae munere Senatorum fungebatur et suae quasi curiae Senatores dicuntur in l. 33. Cod. de *decur.* vnde et Graecis appellantur βουλευται; interdum etiam *curiales;* vt in l. 25. in l. 34. Cod. eod. Vid. in viiiuersum IAC. GOTHOFREDVS ad C. Theodos. Tit. de *decurion.* in *Paratitlo* et in *Comment.* Ex his ipsis quidem decurionibus eligeabantur magistratus municipales, v. c. Duumuiiri, Aediles, nec aliis, quam qui ex ordine decurionum essent, honores municipiorum conferebantur l. 7. §. 2. π̄ de *decur.* Il enim pecuniam publicam tractabant, eamque erogandam curabant, l. 2. §. 1. π̄ ad *municip.* tributa quoque, census, legata Reipublicae relista, et quae huius generis erant reliqua, eorum cura, vigilancia et sollicitudine regebantur; l. 8. l. 17. §. 7. et 21. l. vlt. §. 2. π̄ eod. l. 30. π̄ de *negot.* gest. l. 5. π̄ de *administr.* rer. ad ciu. pert. vid. BRISSON. *Seetet. antiqu.* L. IV. 13. eorumque erat, inservire curiae commoditatibus et illius utilitatem promouere omnibus, quibus possent, modis, idque periculo sutorum bonorum, l. 50. l. 60. l. 64. C. de *decur.* nec poterant etiam repudiare vel alienare paternam haereditatem, quod fortassis accidere potuisse in fraudem curiae, sed patrimonia subire cogebantur l. 4. Cod. de *natural.* lib. erantque omnino tot tantisque aliis oneribus obnoxii et quasi obruti, vt quisque, qui sibi rebus

VI

busque suis bene cuperet, quanto prudentior esset, tanto magis decurionatum, tanquam verticem scupolorum, defugeret et quandiu posset evitaret. Ex quo etiam factum est, ut saepenumero alii praemiis ad subeundum hoc munus essent alliciendi, alii legum minis et vinculis cogendi, vel iam suscepto adstringendi. Quibus quidem praemiis annumeranda sunt multa eaque varia, quasi in gratam compensationem incommodorum, laborum et periculorum, tam suscipiendorum, quam perferendorum, illis data pruilegia. Sic v. g. immunes erant ab iniuriis corporalibus; l. 47. l. 61. l. 75. C. *Theod.* de *decur.* certus etiam dicundi in eos iuris et condemnationis modus iudicibus erat praescriptus; c. l. 47. et si quid capitatis poena dignum commisissent, eos solummodo cinctos custodire indici permisum, de poena autem in illos statuenda ad ipsum Principem referendum et ab eo rescribendum erat; l. 27. §. 1. et 2. *π* de *poen.* porro necessitate subeundorum omnium munerum extraordinariorum erant soluti; l. 30. C. de *decur.* ultra certos terminos ciuitatis suae praesentiam sui exhibere non cogebantur; l. 61. *eod.* liberi eorum naturales siebant legitimi, si vel pater illos, vel ipsi liberi curiae se obtulissent; l. 3. *Cod.* de *nat. lib.* illique statim, post factam hanc curiae oblationem, omnia haeredum suorum iura assequebantur et decuriones siebant, quamvis legitimae aetatis tempus, h. e. viginti quinque annorum, nondum implevissent; l. 11. *π* de *decur.* Nam et infantes huic ordini adscriptos fuisse reperimus. Taceo plura alia priuilegia, quibus decurionatus gaudebat; quae singula longa serie continentur

Cod.

Cod. Theodos. Tit. de decur. In reliquis autem omnibus eminet vel maxime illud CONSTANTINI M. in l. unic. *Cod. Theodos. de bon. decur.* qua sic sanctum est: si decurio sine liberis intestatus diem vitae soluerit, cui neque voluntas postrema legibus fulta, neque alio quo iure gradu proximo haeres extiterit, i. e. qui neque testamentarium neque legitimum haeredem habet, bona eius curiae, cuius decurio fuit, cedunt. Ex quibus manifestum est, CONSTANTINVM M. huius extraordinarie successionis primum fuisse auctorem, nec illam attribuendam vel THEODOS. M. vel THEODOSIO iuniori et VALENTINIANO, ut sere ad vnum omnes existimant propter l. 123. *Cod. Theod. de decur.* et inscriptio nem l. 4. *Cod. de haeredit.* decur. sed perperam. Contrarium enim indicant annus et dies subscripti illius l. unic. nempe 319. ipsis Cal. Decembr. Constitutio THEODOSII M. autem multo post promulgata est, scilicet Ann. 391. 5. Calend. Aug. et Constitutio THEODOSIA iunioris Ann. 429. 5. Idib. Mart. conf. GOTHOFR E DVS ad d. l. unic.

Eodem privilegio munitum erat collegium cohortalium, quorum militia cohortalis dicebatur, verum ab armata seu militari, quae sub magistro militum castra sequebatur, longe diuersa. Cohortales enim, qui saepenumero etiam cohortalini vocantur, l. 14. *Cod. Theod. de priuil. eor. qui in S. Palat.* aliis iudicibus et magistratibus apparebant, erantque sub imperio Praefecti Praetorio, Proconsulis, aliorumque iudicium. vid. GUTHERIUS de Offic. dom. Aug. L. II. c. 15. Varia eo-

VIII

eorum erant ministeria secundum varia Praesidum negotia, omnes tamen, qui ea subierant, in eadem erant cohorte, quarum certa fuit matricula, cui unusquisque, antequam in hunc ordinem reciperetur, nomen suum inscribere debebat ex praescripto *ARCADII. l. 20.*
Cod. Theod. de cohort. idque propterea, quia multi ad cohortalinam militiam adspirare eamque ambire solebant, qui vix degustato, certe gesto tantum per breve tempus pro arbitrio suo officio aliquo, mox cohortem deferebant vel ex ea recedebant, eoque pacto alius cohortibus, qui diu hoc in ministerio fuissent et omnia fideliter gessissent, viam promouendae fortunae suae et aditum ad maiora, quae secundum ordinem er per gradus deserri aequum erat, praeripiebant. *V. GOTHOFREDVS ad d. I. vni.* Atque haec quidem ministeria suscipere vnicuique liberum et merae voluntatis erat, sed semel suscepta omni cura et sollicitudine peragere debebat, adeo, ut qui in iis vel negligenter vel fraudulententer versarentur, quaestioni et tormentis subiici possent. Ii enim, qui semel huic militiae nomen dederant, ad eam adstricti erant, nec suam condicionem sponte deserere aut aliud munus suscipere poterant sine sacra probatoria, hoc est, non obtentis ante litteris Principis, quibus in eo munere eum confirmaret, eiusque subeundi potestatem ficeret. *l. 2.*
Cod. de cohort. Vnicae tamen excepta erat cura cursus publici, quam Praefides ob muneris necessitatem atque utilitatem publicam, non expectato rescripto Principis, mox ex arbitrio, alicui ex cohortalibus demandare poterant. *l. 14.* *Cod. de curs. publ.* Huic ordini autem cum
in

in modum addisti missionem, nisi expleto primipili officio, minime impetrare poterant. l. 7. *Cod. de cohort.* Absoluebatur autem illud officium cura et exhibitione annonae militaris, quae eam ob causam et quia tradi debebat primipili centurionibus, ut per hos inter milites distribueretur, *pastus primipili* dicitur in l. 16. *Cod. Theod. eod.* sicuti etiam *debitor ex primipilo* l. 1. *Cod. de cond. ex lege;* vid. **CVIACIVS** ad l. 3. *Cod. de cohort.* Vnde quoque *primipilares*, qui pascendis militibus ad limites destinabantur et more recepto, suscepit omnibus almoniis militaribus, eadem ad limites transferenda et peruehenda curabant. l. 6. *Cod. Theod. eod.* quique ab hoc primipili pastu reddendisque super eo rationibus excusare se haut poterant vila annorum praescriptione, et ex quorum facultatibus primipilo satisfieri debebat, si vel ob infirmitae valetudinis causam, vel ignominiosa et turpia facta, ante iustum tempus et expletas impositi munera rationes, eos aut dimittere, aut officio priuare, mox humanitas, mox severitas exigeret, l. 7. *Cod. eod.* ad quam vid. **CVIACIVS**. Propter multas autem et varias difficultates atque molestias, cum quibus cohortalium ministeria coniuncta iisque quasi implicita erant, mirum nemini accidere potest, multis etiam iisque variis priuilegiis istum ordinem exornatum, et hominum animis, qui habendi et in vniuersum omnium eorum, quae ad vitae commoditates pertinent, cupiditatem, ab ipsa natura quasi insitam acceperunt, commendatum fuisse. Sic inter alia in cohortalium matriculam semel inserti et relati nunquam ad subeunda munera curialia compelli, neque

B

ad

X

ad collegium nauiculariorum trahi, neque ad obeandum bastagae munus cogi poterant l. 3. *Cod. de cohort.*
 l. II. *Cod. Theod. eod.* Bastagarii, ut obiter addamus, erant, qui res fiscales et necessarias exercitui, ad ipsum exercitum animalibus seu aliis iumentis ἀλόγοις peruehebant, ἀπὸ τοῦ βασάτεω dicti. V. *GOTHOFREDVS* ad l. 4. *Cod. Theod. de murileg.* Et hinc satis intelligitur, bastagae vocabulum in c.l.3. nihil aliud significare, quam ipsum onus et oneris διανόμητον. Porro non modo cohortales fruebantur praerogatiis legionariorum seu letissimorum militum, verum etiam si quis ex eorum numero, sine legitimis haeredibus et non condito testamento, ultimum diem obiisset, successio in omnia relata ab eo bona non ad fiscum, sed ad caeteros eiusdem provinciae cohortales deferebatur, per l. 3. *Cod. de haered. decur.* Huius autem priuilegiū auctōrem **CONSTANTINVM M.** fuisse ostendit ipsa legis inscriptio.

Atque hic ipse **CONSTANTINVS M.** hoc priuilegium extendit ad corpus Nauiculariorum l. I. *Cod. de haered. decur.* Fuerunt Nauicularii, qui et Nauarchi, vnde Nauarchia, Nautici, Naucleri dicuntur, qui singulis nauibus praeessent, l. 20. *Cod. Theodos. de nauicul.* l. 32, *Cod. eod.* l. 2. *Cod. Theod. de canon. frum.* **V E G E T I U S de re mil. Cap. 4.** et certum corpus ac collegium variis in locis per totum Orbem Romanum, tam in Occidente, quam in Oriente habuerunt, eorumque officiū erat, omnes annonae species, nempe frumentum et alia ad annonam pertinentia, vel ad ipsam Vrbem Romam naue

naue aduehere, scil. ex Hispania et Africa, vel Constan-
tinopolim, ex orientalibus prouinciis, Aegypro et Ale-
xandria; et sic annonam, impedienda caritatis causa,
omni modo praestare, vel, vti est in l. 5. §. 3. *π̄ de iur.*
immun. annonae infseruire debebant. Quam quidem
conditionem sequi tenebantur, qui erant ex genere na-
uiculariorum, originis iure, filii et haeredes, l. i. l. 19.
l. 20. l. 22. l. 35. *Cod. Theod.* de nauicul. interdum si cor-
pus eorum imminutum esset, numerusque decreuisset,
a Praefecto Praetorio complebatur l. 14. l. 27. *Cod. Theod.*
eod. Plerumque ex curialibus cooptabantur, et qui ex
his ad illud collegium se contulerant, postea ad curiam
reuerti vel ab ea reuocari non poterant. Sed et qui
eorum bona et praedia possidebant, quoquinque etiam
iure aut titulo hanc possessionem naucti essent, pro rata
illorum bonorum, huic officio et conditioni, veluti
glebae, perpetuo obligati erant, adeo, vt eam, ad
quemcunque etiam honoris et dignitatis gradum per-
uenissent, nullo modo declinare nec excusare possebant,
immo iam excusari repeterentur. l. 3. et l. 12. *Cod. Theod.*
de nauicul. Praeterea naues exstruere cogebantur cer-
tae magnitudinis, quae quidem capienda frugum quan-
titati legibus praescriptae, pares essent, idque sub iactu-
ra bonorum l. 28. *Cod. Theod.* *eod.* Quae autem fuerit
iusta et necessaria ista magnitudo in illa lege expressum
quidem non est, verum *GOTHOFREDVS* ad eam
multis iisque doctissimis argumentis ostendit, illam
amplitudinem et capacitatem nauium, praesertim mari-
timarum, ita fuisse definitam, vt singulae non minores
essent decem millium modiorum. l. 3. *π̄ de vacat. et ex-*

XII

excusat. mun. Ex his iam satis constat, multis oneribus nauicularios fuisse obrutos, ad quae adhuc referenda sunt, periculum fortunarum suarum, sub quo hoc munere fungerentur, nec minus etiam hoc, quod vnius delictum omnes ac singulos e corpore constringeret atque teneret, et damnum ab uno datum ab omnibus esset praefundum et resarcendum. Vixum itaque est e republica et consulo placuit tam **CONSTANTINO** M. tum **CONSTANTIO**, **IVLIANO**, aliisque Imp. labores et pericula eorum, quae ipsius reipublicae causa sustinebant, iustis praemis et priuilegiis remunerari. Eum in modum tributa ipsi fuit immunitas ab omnibus muneribus publicis, etiam curialibus, l. 5. pr. I. II. I. 14. *Cod. Theod. de nauic.* l. 3. π^{r} de vacat. et *excusat. mun.* nec minus a corporali iniuria, h. e. a quaestione et tormentis, quo sensu corporales iniuriae veniunt in l. 6. *Cod. Theod. de quaest.* Non praestabant vestigia seu portorium pro aduentis mercibus nec lustrali collationi erant obnoxii. l. 16. l. 23. et 24. *Cod. Theod. de nauicul.* Decorabantur equestris dignitati, quae senatorio ordini proxima erat, et tantum omnino fauorem meruerunt, ut vel ipsi Senatores, si vellet, in hoc collegium cooptari posset. Ex quo, quantopere illorum consortium creuerit, facilis sane est coniectura. Inter reliqua autem priuilegia, quarum longam seriem habet tit. *Com. cod. Theod.* haut exiguum erat etiam illud, quo, si quis nauiculariorum, sine testamento, et liberis vel aliis successoribus legitimis, diem obiisse, eius haereditas non fisco, sed corpori nauiculariorum, cuius membrum fuisset, cederet. l. 1. *Cod. de haered. decur.*

Sed

XIII

Sed de reliquis collegiis, hoc quidem priuilegio,
 fisci rebus et augmentis adeo damnifero, exornatis,
 mox, eti alio quidem tempore, attamen in simili cau-
 sa, videbimus. Filum enim orationis hic abrumpere
 necessitas iubet, cum, quidquid reliquum sit harum
 plagularum, iure quodam suo sibi vindicet, qui iis
 ipsis conscribendis occasionem praebuit et typis expri-
 mendis operarum manus suis sumtibus exerceri voluit.
CHRISTIANVS GOTHOFREDVS HEYME,
 Dresdensis, non modo ob doctrinae praestantiam, sed
 in primis quoque ob morum elegantiam et consuetu-
 dinis suavitatem valde commendabilis, natus est anno
 huius Seculi XLVII Patre, **CHRISTIANO GOTHO-**
FRED O, Seren. Elect. Tribuno Aerarii Aulici, quem
 se adhuc vitium colere, in gaudiorum suorum summa
 habet. Matrem **RAHELEM SOPHIAM**, e gente
HERMANNIA, adhuc infans amisit. Superatis pueri-
 tiae annis, atque praeparatus primum domestica disci-
 plina, post in schola patria, quae a Crucis signo no-
 men accepit, exercitatus est disciplina **KRETZSCHMA-**
RRI, **KOEHLERI** et **MULLERI**. Ad hanc autem
 omnium bonarum litterarum et liberalium artium fabri-
 cam atque Vniuersitatem, accessit Anno LXV in ciuium
 Academicorum catalogum relatus a **POHLIO**, eo tem-
 pore Rectore, a quo, vti Vir bonus est, multis insque
 insignibus beneficiis se exornatum fuisse, grato animi sen-
 su fatetur. In addiscenda Philosophia vniuersa b. **WINCK-**
LERVM, in tradendis Dialectices regulis **SEYDLIZI-**
VM et **RIZIVM**, in Mathesi b. **RVDOLPHVM**, in
 doctrina morum b. **GELLERTVM**, et in graecarum

B 3

lati-

XIII

latinarumque omninoque omnium humaniorum litterarum studio et ambitu rursus RIZIVM Praeceptorem habuit. In Iuris ciuilis scientia BREVNINGII, SCHOTTII et SEGERI paelectionibus profecit, atque huius in primis enarrationibus super Struuii Iurisprudentia Romano-Germanica multum se debere gratus praedicat. In iure naturae et publico vniuersali SAMMETVM doctorem habuit. Iuris Canonici percipiendi causa b. WIZLEBEN fectatus est. Cognitionem historiae Imp. R. G. historiae statuum, Iuris publici particularis et historiae Saxonicae a BOEHMIO, Iuris beneficiarii autem a GEISLERO hausit. Artem causas litigiosas agendi et ex gestorum voluminibus referendi ZOLTERVS et WINCKLERVS ipsi tradiderunt. Atque sic per integrum quadriennium, fructuissime consumatum, apud nos commoratus, posteaquam conscriptum a se de coniunctione loci et suffragii in comitiis provincialibus cum dominio praediorum nobilium, libellum Academicum sub moderamine SEGERI publice defendisset, et primam in Iure lauream ab Ordine nostro retulisset, anno LXVIII. in patriam rediit, et ibi ab eo tempore causis in foro perorantis operam studiumque suum impedit. In quo quidem vitae genere certe reperiire non potuisset, cui se suaque omnia maiori fiducia et certiori felicissimi, tam successus, quam euentus, spe tradere potuisset, quam Consultiss. FREYBERGIVM, quem propter exquisitam omnis Iuris, quea in eo est, scientiam, qua etiam Serenissimi Electoris nostri concreditis ipsi fisci causis, honorificentissimum dese iudicium tulit, et propter insignes animi, cunctis bene cupientis, nemini inuidens,

tus.

tis, quem quidem animum adeo in vultu gerit, do-
tes, lubenter magis laudarem, nisi ipse ego eum tan-
topere amarem, meque ab eo vicissim amari multis
iisque luculentissimis documentis perspectum haberem.
Nunc paucos ante dies, ad nos reuersus, Doctoris in
Vtroque Iure Titulum honoresque ab Ordine nostro
decenter petiit, eamque ob causam heri scrutinium,
quod rigorosum dicunt, feliciter sustinuit. Quare pe-
titioni suae ita satisfacere statuimus, ut postquam pro-
ximo abhinc Mercurii die, hora secunda a meridie L. 7.
Cod. de usufr. et habit. in Acroaterio nostro succincta
explicatione exornauerit, die Iouis autem futuro, dis-
sertationem Inauguralem *Spicilegium Obscuruationum ad*
eruendas Origines Iuris Publici Germanici continentem,
Illustri atque Excell. SEGERO, Collega atque sautore
mihi exoptatissimo, formulam praeceunte, publice de-
fenderit, Illustris atque Consultissimus Antecessor et
Collegii nostri Assessor, D. IOSIAS LVDOVICVS
ERNESTVS PVTMANN, me auctore in eam rem
facto, Doctoris titulum et praerogatiwas, sola spe ob-
tinendi olim suffragii et loci in conselio nostro ipsi
denegata, solenni ritu ei conferet. Quam quidem
Panegyrin, ut RECTOR ACADEMIAE MAGNIFI-
CVS, ILLVSTRISSIMI COMITES, VTRIVSQUE
REIPUBLICAE PROCERES et LECTISSIMVS
STUDIOSORVM IVVENVM numerus, spes futuri,
annuat Deus votis! felicioris saeculi, honorificentissi-
ma sua praesentia splendidiorem reddere velint, et Or-
dinis et meo nomine vehemerter rogo. Scrips. Lipsiae
Dominica Exaudi A. R. S. CCCCCCLXXIII.

VX

ob. sionib. m. p. m. m. m. m. m. m. m. m. m.
der r.
r. r. r. r. r. r. r. r. r. r. r. r. r. r. r. r. r. r. r.
r. r. r. r. r. r. r. r. r. r. r. r. r. r. r. r. r. r. r.
r. r. r. r. r. r. r. r. r. r. r. r. r. r. r. r. r. r. r.
r. r. r. r. r. r. r. r. r. r. r. r. r. r. r. r. r. r. r.
r. r. r. r. r. r. r. r. r. r. r. r. r. r. r. r. r. r. r.
r. r. r. r. r. r. r. r. r. r. r. r. r. r. r. r. r. r. r.
r. r. r. r. r. r. r. r. r. r. r. r. r. r. r. r. r. r. r.



LIPSIAE

EX OFFICINA LANGENHEMIA

ULB Halle
003 935 957

3



56.

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



Farbkarte #13

8
7
6
5
4
3
2
1
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
Inches
Centimetres

XCVIII.
1773, 57.
49. 9

ORDINIS. ICTORVM
PROCANCELLARIVS
ROMANVS. TELLER
LIPSIENSIS
DOCTORALIA. ORNAMENTA
CHRISTIANO. GODOFREDO. HEYME

D R E S D E N S I

A. D. XXVII. MAI. MDCCCLXXIII

C O N F E R E N D A

ANNVNTIAT

successione doctoronam collegii. data.
I) de

Foto. I. Declaracionis. Ac. Collegii. data.